

Triplex apud illos statio collocata una Quebeco non procul, in XLVI. gradu latitudinis, nomine S. Francisci Salesii & patrocinio insignita: aliæ duæ sunt remotiores; loco nomen est Nipisikout. Trans amnem Laurentianum ad Meridiem funduntur Iroquæorum quinque nationes. Septem sunt apud illos præconum Evangelii domicilia, per centum quinquaginta leucas sparsa. Ex iis sex profligata fuerant bello Gallos inter & Iroquæos conflato circa annum MDCLXXXII. Revocata cum religione pax anno MDCCII. omnia priorem in statum restituit. In iis Iroquæorum Missiōibus ea præcipue floret, quæ à S. Francisco Xaverio nomen habet, ad Montem-Regalem.

Supra Iroquæos, versus occasum & Aquilonem, intra quadragesimum gradum & XLV. cernere est majores duos lacus angusto freto junctos: alter, isque amplior, Ilinæorum; alter Huronum dicitur. Hos ingens terræ lingua dividit, eujus in apice fedet Missio S. Ignatii, sive Missilimakinacana. Supra duos istos lacus tertius est, ambobus major, quem superiorem lacum appellant. Hujus in aditu constituta est Missio S. Mariæ à Saltu. Interjectum inter hunc, & binos inferiores lacus spatium occupant Outaouaki, apud quos plurima stativa Societas habet. Ejusmodi arces religionis (sic enim appellare Missiones licet) unde fuos profert milites, & sacra explicat vexilla, tres circa lacum Ilinæorum positæ sunt, prima inter Puteatamifos: Missio Sancti Jofephi nuncupatur: altera inter Kikaroufos, Mafkoutenfos, & Outagamifos; S.